

Quare ego commiseratione tactus hosce tractatus plenos veritatis & rationum physicarum tibi offero, in quibus integram artem perspicue tamquam in tabella depictam habebis. Hos examina, perpende & firmis argumentis animi tui opinionem muni, sic errare non poteris. Qui enim omnibus sophismatibus absq; iudicio credit volens decipitur, vera ars multis inuolucris tecta est, quibus incauti facile intricantur. Ergo antequam operari incipias, causas rerum naturalium prudenti consilio perpende, aut noli rem aggredi: satius est tempus solerti iudicio & meditationi tribuere, quam temeritatis & stultæ inconsiderantiæ poenas luere. Tu, amice lector, benigno animo editum benigniore suscipito, fideliter & magno cum iudicio lege, relege, ora, labora, operare, reitera. Et procul dubio tantorum secretorum particeps in honorem Dei auctoris mysteriorum & utilitatem proximi per experientiam considerationis naturæ efficiaris Vale.

Libri philosophorum acriter iudicio sunt legendi.

---

DIALOGVS INTER NATURAM ET  
FILIVM PHILOSOPHIÆ.

Egidius de Vadis suo amico N. S. P. D.

**N**ON mireris super me (virosum optime,) qui omnium scientiarum ignarus, tantum opus super vires aggredior, virtus enim tanti vigoris est, ut non modo ignotos flagrans amore & desiderio conciliet, verum etiam inscios, ignavos, torpentesq; instiget, ut meram scientiarum omnium medullam cōcupiscant. Hos inter omnes (ut amici dicere solent) tui non obliuiscor, quippe qui virtutibus ita præditas es, ut minime possim aliquid agere, quin prius virtutem in te radicatum pro viribus honore postponendum cæteris diuulgarem. Honor enim (teste Philosopho) præmium virtutis est: & viuentium quidem cui potius attribuatur, omni adulatione postposita.

Deum